Quelle: https://manuscripta.at/?ID=833
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



igitur quod isto casu aput illum remanebit signum aput quem remanet ipsum artificium
in quo fit sive iure proprietatis sive iure conditionis sive alio titulo sive in toto sive in
parte sive etiam mala fide teneat toto tempore quo tenet non potest prohiberi uti signo
sicut in ceteris iuribus realibus ar. ff. de servitutibus rubrica. l. via constitui § fi. et si servitus
ven. l. ij § fi. et l. se. et quemadmodum servitus amit. l. usu et l. se. idem in conductione talium
edificiorum ar. ff. loca. l. sed addes § illud et l. videamus § ut prospicere. Quedam
vero sunt signa artificii in quo principaliter operatur bonitas artificis ut videmus in
signis que apponuntur in spatiis cultellis et aliis operibus metallorum et isto casu omnes
qui sunt in una statione possunt uti signo illo quasi magister principalis illius stationis
approbet illa opera ar. in auctoritate tabel. § nos autem et ibi non in glo. que incipit cave ut
in fi. glo. si vero separantur tunc signum debet remanere aput eum qui principaliter erat in statione
ar. ff. de fi. instru. l. fi. et C. proximo dixi sed si forte omnes erant equales nisi in
vice conveniat aput quem signum remaneat forte dirimet ut dicta. l. si cautiones
fam. he. ¶ Secundo principaliter est videndum qualiter ista arma seu signa sunt
pingenda insigenda seu portanda. Ad quod sciendum est quod quandoque portantur in vexill
et vexilliculis, quandoque super vestibus hominis, quandoque in clipeis, quandoque in copertis
equorum, quandoque in coopertis lectorum et sy., quandoque depinguntur vel aliter fingunt in
parietibus et aliis locis stabularibus, circa quodlibet predictorum aliqua videamus.
Circa que sciendum est quod quandoque ista signa sumuntur ex aliqua re existenti ut
multi assumunt aliquod animal vel castrum vel montem vel florem vel aliquod
simile, quandoque ista insignia non sumuntur ex aliqua re preexistenti sed sunt insignia
simpliciter scilicet variationes quorundam colorum, vel per dimidia, vel per quarteria, vel per
aliquas listas rectas transversas vel pendentes et similia quandoque mixti ex utroque.
His premissis videamus qualiter portentur illa insignia que significant aliquam rem
preexistentem. Ad quod dico quod ars imitatur naturam quantum potest, unde ista signa debent
fieri secundum esse et naturam rei quam figurant et non aliter ar. de apt. l. si pater in fi. cum l. se.
et de sta. ho. l. non sunt liberi, de natura autem vexilli est cum portatur in hasta secundum illum usum
ad quem vexillum destinatum est quod hasta precedit et vexillum sequitur, unde quodcumque animal
debet designari in vexillo facies eius deberet inspicere hastam cum de natura facturus
sit antecedere. Idem in omni re figurata que habet partes que denominantur per ante et post ut
in prece. li. dictum est, tunc enim semper pars alterius rei debet esse versus hastam alias enim
videtur retro incedere tamquam monstrum sed si alicuius rei solum pars antior portaretur
pro arma ut sunt quidam qui faciem arietis vel bovis pro suo signo portant tunc non potest
pars antior respicere hastam sed alatere respiciet. Sed dubitatur qualiter debent
dicta animalia designari utrum quasi stent erecta an quasi per terram plane ambulent
vel quomodo. Respondeo dicta animalia debent designari in nobiliori actu eorum et in quo
magis suum vigorem ostendunt ar. de sta. ho. l. quare de acq. re. do. l. quicquid § i. cum partes
sic etiam ab antiquo usitatum videmus quod principes in maiestate pontifices in pontificalibus

qualiter arma sint pingenda